



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus XCIV. De Dedicacione, seu Consecratione Ecclesiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

dere recusas? Si ex patrimonio Christi vivis, & fors opiparè, cur debitum servitium ei præstare negligis? Si æger es, uti planè es, cur medicinam respicis? Audi Bedam apud Gabriel. *lect.* 87. non de te, sed de Sacerdote non quotidie celebrante loquentem: Sacerdos, inquit, non legitime impeditur celebrare omittens, quantum in eo est, privat SS. Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, justos subsidiò, & gratiâ, in Purgatorio existentes veniâ, Eccle-

siam speciali Christi beneficio, & se ipsum medicinâ, & remedio. Neque dicas velim, S. Hieronymum Presbyterum Missas non celebrasse; nam id falsum esse demonstrat Surius in ejus vita n. 22. Dein cum & tu ad eum Sanctitatis, & humilitatis gradum perveneris, & tibi ita cordi fuerit eremus, & solitudo, facilius tunc veniam obtinebis, & dignitatem tuam, ac Officium pluris etiam æstimare disces.

## CASUS XCIV.

### *De Dedicacione, seu Consecratione Ecclesiæ.*

Consecrata fuit nuper ab Episcopo nova Ecclesia quorundam Religiosorum, ubi functio Consecrationis duravit ferè usque ad meridiem diei Dominicæ, quæ erat secunda post Pascha. Ubi exortâ inter ipsos Religiosos contentione, & controversiâ, quæsitum fuit.

QUÆR. I. *Utrum Consecratio, & Dedicatiò juxta Rubricas sint idem?*

QUÆR. II. *Utrum Religiosi illi pridie Consecrationis dicere possint Vesperas &c. & postridie Matutinum cum Laudibus &c. de Dedicacione?*

QUÆR. III. *Utrum privato in Sacello valeant Missam celebrare, (eo tempore, quo Consecratio actu durabat, & necdum erat completa) de Dedicacione?*

551

**A**D 1. quæsitum R. Consecrationem & Dedicationem juxta Rubricas idem esse. Ita Gavantus in *Theaur. Sacror. Rit. tom. 2. Sect. 8. cap. 5. n. 2. edition. recentioris.* Ubi ita loquitur: *Dedicatio Ecclesiæ est ipsamet Consecratio facta ab Episcopo, ut in Pontificali: qua ita recolitur quotannis, ut Natalis dicatur dies d. dicati templi - ex S. Leone Serm. de Machab.*

Aliud tamen est. *Dies Dedicatio- nis, & aliud Dies anniversarius Dedicatio- nis: Unde diversa tam in Missali, quam in Breviario assignatur pro illis Oratio.*

Porro ritum consecrandi, & dedicandi Templi ex veteri testamento sumpsit Ecclesiæ, ubi Moyses tabernaculum, & Salomon Templum Deo dicantes, precibus, & unctioe Sacrarunt. Cæremonias in Consecratione observandas instituit S. Sylvester Papa, postquam Constantinus Imperator per Baptismum salutem, & sanitatem est consecutus, & lege à se latâ concessit Christianis per totum orbem, ut Ecclesias ædificare possent. Quod autem tam Episcopus consecrans, quam Patroni Ecclesiæ consecrandæ sint jejuni tempore Consecrationis, & pridie quoque ejus diei jejunent, Statuit Leo Papa in *Epist. ad Diodor.*

552 Ad 2. Q. An scilicet in proposito casu Religiosi illi pridie

Consecrationis possint dicere Vesperas, & Completorium, postridie verò Matutinum cum Laudibus &c. de Dedicatione?

R. affirmativè, loquendo de Casu, quo *Consecratio, seu Dedicatio* templi non fit in aliquo Festo, aut Dominica contra quodcunque aliud Officium privilegiatâ, v. g. Dominica in Albis, aut Feria II. vel III. Pentecostes, sed Dominica, vel Festo aliquo minore, uti hæc facta est Dominica secunda post Pascha.

Tametsi enim pro hac Resolutione non inveniam Authorem, aut Rubricistam, qui Casum hunc, ut ut frequentem vel obiter attingat, colligi tamen illa potest ex Rubrica, quæ extat tam in Breviario Romano in *Communi Dedicatio- nis Ecclesiæ* (ubi de primis Vesperis, & Laudibus) quam etiam in Missali Romano, post Missam de *anniversario Dedicatio- nis, §. 2.* In quarum prima, cum tam in 1. Vesperis (NB.) quam in Laudibus *pro ipso Die Dedicatio- nis Ecclesiæ,* & per hujus Octavam expressè præscribatur Oratio, in Officio recitanda, diversa ab ea, quæ in Officio dicenda est in Die Anniversario Dedicatio- nis, ac per istius Octavam; & in secunda *pro ipso Die Dedicatio- nis* non minus præscribatur Missa in eodem dicenda, quam *pro Die anniversario Dedicatio- nis,*

tionis, cum diversis tamen Orationibus in utriusque Diei Missa dicendis, manifestè supponitur, Primò. Dari Casum, in quo tam Officium, quàm Missa dicenda sit de ipso Die Dedicacionis, & de hujus octava; ad quid enim alioquin tam in Officio, quàm in Missa pro Die ipso Dedicacionis, & pro hujus Octava in Communi, ut vocant, Sanctorum præscriberetur in Breviario, & Missali peculiaris oratio? Supponitur 2. etiam primas Vesperas in ejusmodi Casu dicendas esse pridie Consecrationis de Die Dedicacionis subsequente, seu Consecrationis; ad quid enim aliàs Breviarium præscriberet etiam in primis Vesperis orationem dicendam pro ipso Die, ut ibi loquitur, Dedicacionis?

Nec refert 1. Quòd pridie, & manè subsequente ante absolutam Consecrationem nondum sit consecrata Ecclesia: sicut enim pridie Diei Festi, quo Sanctus aliquis Confessor obiit, uti & per subsequentem octavam citra inconvenientiam, ac falsitatem dicitur: *Hoc die letus meruit beatas scandere sedes*, (quia nimirum hæc verba dicuntur relatè ad tempus, quo re ipsa verificantur, & fictione Juris, ut ita dicam, Ecclesiastici, tam Vesper præcedens, quàm octava subsequens habentur pro uno, eodè tempore, sive Die, licèt non pro sin-

gulis ejus partibus æqualiter verificentur) ita & hïc suo modo contingit.

Nec refert 2. quòd in Post communionem Missæ, in ipsa Die Dedicacionis dicendæ, verba illa: *Ut in hoc loco, quem Nomini tuo indigni dedicavimus &c.* Soli videantur Consecratori Celebranti convenire, aliis verò ad summum non nisi post Consecrationem celebrantibus; nam sicut in oblatione calicis ante hujus Consecrationem citra absurdum dicitur, ac sine omni falsitate: *Offerimus tibi Domine Calicem Salutaris*; ita etiam sine absurdo, & falsitate ante peractam templi Consecrationem in dicta oratione dicitur: *Quem Nomini tuo dedicavimus*; cum sicut illud, ita & hoc in suo sensu verificetur; & sicut, quando in Canone dicitur: *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, tò offerimus, & tò offerunt* alium sensum habet respectu celebrantis, & alium respectu procurantis Sacrum, aut cooperantis ad illud; ita & hïc tò *dedicavimus* suo modo & ei, qui re ipsa consecravit templum, & iis, qui ad ejus Dedicacionem suâ vel operâ, vel intentione, aut votis, quibus illud divino cultui (eo ferè modo, quo quis aliquem librum suo Patrono) destinaverunt, ac dedicârunt, si non explicitè, implicitè omninò convenit. Quod autem Rubrica Breviarii, & Missalis

salis Romani assignans peculiarem orationem dicendam in *Officio*, & *Missâ* Die ipsa Dedicationis, non concernat solum Episcopum Consecratorem; patet. 1. Ex eo, quia si hunc tantum concerneret, non esset ratio orationem illam cum sua Rubrica ita absolute ponendi in ipso Breviario omnibus communi, & quidem eò loco, ac modò, quò ponuntur Rubricæ, & orationes omnibus ad dicendas Horas obligatis communes, sed deberent potius poni vel in solo Pontificali, aut Cæremionali Episcoporum inter alias Consecrationis cæremónicas; vel addi deberet in ipso Breviario limitatio ad solum Episcopum consecrantem: Cùm ergo Rubrica, seu Jus Ecclesiasticum hic non distinguat, nec nos distinguere debemus.

Patet ulterius 2. etiam ex eo, quòd Rubrica Breviarii sæpius allegata dicat: orationem illam dicendam esse à *Vesperis ipsius Diei Dedicationis, & per ejus Octavam*, Sed qui *Officium Diei Dedicationis* ab hujus primis *Vesperis*, & per ejus octavam dicere debent, non sunt Episcopus (quid enim ad hunc Octava) sed ii Sacerdotes, ad quos spectat Ecclesia consecranda: ergo hi, & non Episcopus, non modò possunt, sed debent illud recitare à primis *Vesperis*, & per octavam

Diei Dedicationis, nisi aliud quid obstet.

Ad 3. Q. R. pariter affirmativè. Sequitur ex dictis; cùm enim die illo, quo dedicatur, seu consecratur Ecclesia, absolute licitum sit celebrare *Missam* de Dedicatione illis Religiosis, ad quos spectat Ecclesia, ante consummationem Dedicationis, illicitum non erit in privato Sacello, aliove loco ad celebrandum idoneo die illo *Missam* dicere de Dedicatione, omisâ tamen in *Oratione Secreta* illâ parenthesis (si extra Ecclesiam celebretur) ut quicunque intra templi hujus &c. quemadmodum id aliquoties per annum contingit. Quantum tamen fieri potest *Missæ* privatæ non nisi post consecrata saltem altaria dicantur, quæ interdum *Vespere* præcedente, excepto Majori, solent consecrari. Cæterum dixi suprâ nisi aliud quid obstet; nam excipiendi sunt dies contra *Officium* quodcumque aliud vi Rubricarum privilegiati; quales sunt Festum Pentecostes cum primis duobus diebus sequentibus; nec non Dominica in Albis; item Dominica prima Adventûs &c. nam si in horum aliquo consecraretur aliquod templum, non nisi ab Episcopo Consecratore faciendum esset tali die de Dedicatione (dicendo in *Missâ* solenni duas orationes

nes sub una Conclusionē, nempe & eam, quæ est de Dedicacione, & eam, quæ est de die currente) ab aliis autem die ipso, & per octavam nec Missam, nec Officium dicendum existimo in tali casu anno illo, quo tali die privilegiato dedicatur Ecclesia: & quia juxta recentioremissalis Rubricam hujusmodi dies sunt privilegiati contra quodcunque Officium, etiam primæ Classis, etiam Dedicacionis, & Patroni, idcirco rogandus Episcopus Consecrator erit in tali casu, ut ad celebrandam *Anniversariam Dedicacionem* Ecclesiæ decernat aliam diem, nempe vel diem Dominicam proximiorē, vel diem

aliam magis commodam, & in tale festum, aut Dominicam privilegiatam non incidentem, ut sic non tantum una alterius celebrationem non impediatur, sed possint etiam Octavæ utriusque festi liberius celebrari, & populus, præsertim rusticus, majori frequentia colere diem Dedicacionis anniversarium queat. Ita namque decrevit Sac. Rit. Congregatio 19. Februar. 1585. Extra actum verò Consecrationis non potest mutari amplius festum anniversarium Dedicacionis inconsultâ S. Sede Apostolica, ut eadem Sac. Rit. Congregatio apud Gavantum decrevit.



CA-